



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 19. Res Castiliæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII.
A. C. 1278.
absolvendi : per maleficos autem intel-
ligebat illos, qui Collegii bona & jura im-
peterent. Edixit etiam, Collegium posse
interdicto afficere cathedrale, cætera-
que urbis templa ob manifestam injuriam
seu ab Episcopo, seu a Castellano factam,
nec compensatam. Idem Legatus dire-
mit pariter controversiam inter Papam
Nicolaum III ac Regem Philippum Au-
dacem de canonicatu Ecclesiæ Laudu-
nensis, quem Papa possidebat ante suum
pontificatum. Jusserat Legatum suum
alii cuiquam illum conferre. At Rex se
opponebat asserens ad se pertinere col-
lationem beneficiorum in Romana curia
vacantium durante Laudunensis Eccle-
siæ viduitate. Papa tamen haud omi-
sit de canonicatu suo statuere. Interea
dum eum tenebat, Gregorii X jussu ob-
tinuerat a Collegio Laudunensi fructus
illius annuos, etsi non esset Hypodiaco-
nus, nec resideret.

§. XIX.

Res Castiliæ.

Rayn. n. 24.
25.
Id. 1279. n. 21
Papa Nicolaus urgebat identidem re-
conciliationem Regum Franciæ Ca-
stiliæque, ac in locum, ubi eorum Legati
colloquerentur, designaverat urbem To-
losam tanquam utrique Regi commodis-
simam. Huic negotio præerant duo Car-
dina-

dinales, Gerardus Blancus tit. duodecim Sæcul.XIII.
 Apostolorum, & Hieronymus Asculensis A.C.1278.
 Minister Ord. Minorum Generalis, cum n. 80. 1278.
 Patriarcha Joanne Vercellensi Fratrum
 Prædicatorum Magistro Generali, cui Pa- Papebr.t.4.
 pa hoc ipso anno tribuit titulum Eccle- p. 61.
 siæ Hierosolymitanæ ab anno 1276 va-
 cantem per decessum Thomæ Leonti-
 nensis; & dignitatem hanc abnuenti mo-
 dicam submissionem ac languidius terræ
 sacræ conservandæ studium exprobravit.
 Epistolam dabat 1 Octob. an. 1278. Sed
 hujus regionis res tam erant desperatæ,
 ut pro Joanne ratio plus quam satis erat,
 pugnaret. Idcirco sæpius instanti ce-
 dens denique Papa per litteras 4 Febr. Bzov. 1279.
 anno 1279 datas munus tam onerosum n. 12.
 ei detraxit, & postea eodem anno Eliæ Rayn.eod.
 imposuit. n. 47.

Congressus locum Tolosam Gallorum
 quidem Rex accepit; at Rex Castellæ
 renuit, urbem Gallicæ ditioni subditam,
 aliasque futes causas obtendens. Qui- Rayn.n.35.
 bus fortiter confutatis Papa de contemptu
 sacræ Sedis & Cardinalium ac de negle- n. 27.
 ctu pacis graviter objurgatum monuit, ut
 primo Martii Legatos suos in Vasconiam
 mitteret, ubi Cardinales colloquii diem
 locumque dicturi essent. Scribebat 29
 Nov. an. 1278. Sed cuncta hæc Papæ
 studia duos Reges reconciliandi ad irri-
 tum cecidere.